



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Lvdovici Caroli II. Regis Siciliae Filii, Ex Ordine Minorvm Episcopi Tolosani Vita

Sedulius, Henricus

Antverpiæ, 1602

Cap. III. De morbo eius & voto, quo se instituto D. Francisci adstrinxit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42834

eos plerumque efficit quos complectitur; &
 quem nimium fouet, stultum facit. Atque
 ideo infelix ille in quem nihil triste incurrit:
 hic aut sibi ignotus, vt qui nunquam sui pe-
 riculum fecerit; aut Deo inuisus, quem præ-
 terit velut ignauum ad conflictum. Aduersi
 aliquid eueniat oportet, quod probet virum.
 sed magni animi proprium est, placidum
 esse, & tranquillum: tristitia quæque supernè
 despiciere, humanosque casus virtute inferio-
 res putare; calamitates mortalium sub iugum
 mittere proprium est magni viri. Itaque in
 arenâ illâ tam salutariter exercitatus, in tan-
 tum promouit, vt, postquam esset custodia
 liberatus, adfirmauerit nunquam se rogasse
 Dominum Deum, carcere liberari, præter
 semel: hac tamen cautione, si esset salutare.
 & quod magis mireris, noluisse opibus totius
 mundi carcerem illum commutatum: po-
 tius iterum repetere, in cuius gymnasio tan-
 tum profecisset. Citabat huic fini illud
 Prophetæ, *Latati sumus pro diebus, quibus* ^{Psal. 82}
nos humiliasti; annis quibus vidimus mala. ^{15.} Vix
 enim sapimus nisi experti.

Quibus
 ille melior
 euasit.

CAPVT III.

*De morbo eius, & voto, quo se instituto
 D. Francisci adstrinxit.*

Licet verò in ipsâ captiuitate, tanquam al-
 ter Tobias, *viam veritatis non desereret;* ^{Tob. 1.}
 decreuit tamen diuina prouidentia, quæ ip-
 sum

sum ad maiora seruabat, ampliùs probare & grauioribus molestiis exercere: vt variis tunctionibus perpolitus, formaretur in vas pretiosum & electum. Quamobrem in arce Suranâ grauiissimo morbo correptus, purulentum & tinctum fœdo cruore phlegma cœpit eiicere, vt medici læsum pulmonem suspicati sint. Ingrauescebat morbus in dies magis magisque, sed maximè pridie Purificationis B. Mariæ virginis: adeo vt catharri grauedine propemodum suffocaretur. Tunc ad se rediens, vouet Deo pro salute, B. Mariæ virgini matri, S. Patri Francisco, vitam & institutum Fratrum Minorum, seque in eo, quoad viueret, perseueraturum. Voto reuoluit, & patrociniis Sanctorum. Nec oblitus beneficii fuit: sed proximâ Pentecoste, Spiritu sancto adflatus, summo manè in æde arcis, ad memoriam B. Dei genitricis exstructâ, quod secum tacitè promiserat, ad altare Domini, apertè renouans, manifestè seipsum obtulit Domino gratissimam oblationem & holocaustum; consultius esse ratus Deo dari, quàm sibi relinqui.

Morbo correptus.

Voto suscepto sanatus.

CAPVT LV.

In periculo mortis prodigiosè à morte seruatus, mundo nuntium remittit.

A Nimi remittendi gratiâ, cum ei copia facta fuisset, & Roberto fratri, postea Siciliæ regi, equis, armis, cursu & congressu

B 4 exer-